Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 3. Iudæi vicißim excepti, sicut ipsi Christum exceperunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52346

Visual Library

in extrema neceſſitate merentur non exaudiri. Quod prædixit illis verbis: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.*

§. III.

Iudæi viciſſim excepti, ſicut ipſi Christum exceperunt.

Matth. 21. 5. Iſa 62. 11. Ioan. 10. 31. & 11. 8.

2. Quia Iudæi ingreſſum mitiſſimè Saluatorem, de quo dictum erat: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis;* è ciuitate ſua eduxerunt, peſſimis modis exceptum; quem & lapidare voluerunt: idcirco diuinus iudex alium miſit, Titum ſcilicet, qui truculentus intrauit, & illos eiecit. Immo, vt Philo teſtatur, ante Titi aduentum cùm Iudæi plurimis locis etiam extra Iudæam habitarent, vbique furori populari expoſiti fuerunt, vbiq; cædebantur impunè, ſpoliabantur bonis, impetebantur ſordibus & ſaxis, omnibus exoſi, omnibus ludibrio; nec quemquam capiebat eorum miſeratio. In ipſa verò Iudæa affligebantur à Præfectis, & milite Romano, qui maximas illis clades inferebant. Nimirum qui Chriſtum vel non admittunt, vel à ſe expellunt manſuetè venientem, atque eos ad pœnitentiam vocantem; videbunt illum venientem in nubibus

Philo in Flaccum, & in legatione ad Caium.

cum

cum poteſtate magna. Interim, ante eum diem varios mittit ſeu hoſpites, ſeu hoſtes, cum luctu & vaſtitate neceſſariò recipiendos & tolerandos ab ijs, qui homines à Deo miſſos, qui Angelum, qui veritatem Catholicam, qui Chriſtum ipſum non admiſerunt, aut expulerunt, aut etiam lapidauerunt duriſſimè contra eum locuti. *In qua menſura menſi fueritis remetietur vobis.* Matth. 7. 2.

§. IV.

Iudæi in Paſchate Chriſtum crucifixerunt, in Paſchate quoque obſideri cœperunt.

3. Diu admodum & ſæpe Iudæi Chriſto ſunt inſidiati. Enimuerò & conſilium aliquoties inierunt, quo modo, quibuſue dolis vel in verbo, vel in facto aliquo illum caperent. Abſq; dubio, etiam tempus capiendi in conſilium venit: cùm & illud in concilio dixerint: *Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.* Matth. 26. 5. Quamuis placuerit illis illud tempus, quo maxima vndique ad diem feſtum multitudo proficiſcebatur. Elegerunt igitur tempus Paſchale totius anni celeberrimum; quo, ex lege Moyſis, vndique Iudæi ad feſti celebrationem confluebant. Huius conſilij cauſſa fuit, quòd Chriſti nomen, ob amabiles mores, ob vitæ ſancti-